convenit. Sanè cùm Neomenia ad vii. Aprilis tranſierit, & luſtrum ſecundum incœperit, duodecimum ab eo luſtrum eſt xiii. ab initio Sari, ac proinde dies Sari xiii, non xii. Sic etiam cùm ineunte tertio luſtro, ejus Neomenia in vi. Aprilis convenit, luſtrum ab tertio undecimum, quod xxvii. Martii incipiet, erit viii. à primordio Sari, adeóque xiii. dies ejuſdem. Ut autem Scaligeriana commenta ſe habent, numquam luſtrum xiii, ſive xiii. dies Sari æquinoctialis erit. Nam numquam xiii. dies computabitur, niſi quando nondum eſt, ſed eſt futura. Quippe cum ineunte luſtro primo Aprilis viii. decimum tertium diem, ſive Meharſeruch ait eſſe luſtrum æquinoctiale, nondum, opinor, idipſum eſt revera, quod eſſe dicitur; quia nondum Neomenia æquinoctii metas attigit: ſed eſſe aliquando debebit, tum ſcilicet, cùm in rerum natura xiii. illa dies eſſe cœperit. nondum enim xiii. dies venit, cùm in prima Sarus adhuc verſetur. Expectemus igitur luſtra xii. His exactis, quæro decimum tertium luſtrum, quota ſit Periodici Sari dies. Scaliger primum diem eſſe reſpondet. Non igitur xiii. dies Sari æquinoctiale luſtrum eſt, ſed prima. Denique conſtituta Sari Neomenia in April. viii, dies Martii xxvii. dicitur xiii. dies, non reſpectu ad Neomeniam, ſive diem ipſum aſcendentem, ac retrò evagantem habito, ſed ad luſtrum ſolidum, quod in viii. April. immobile conſiſtit. Non enim luſtrum, quod utique præteriit, ſed Neomenia ipſa ab viii. April. ad vii, vi, & reliquos dies paullatim regreditur.

Mitto jam, quod eſt ſupra diſputatum, horum omnium, quæ Scaliger ariolatur, fundamentum in eo poſitum eſſe, ut in viii. Aprilis epocha anni Chaldaïci conſtiterit. Quod eſt ipſum mendaciſſimè confictum, eóque proinde nihilo veriora, ac certiora ſunt, quæ indidem conſequuntur.

CAPUT VIII.

De anno Perſarum veterum, Scaliger lib. III. de Emendat.

I. Persæ eodem anni genere uſi ſunt, quo Chaldæi, nimirum æquabili, uti Curtius lib. III. ſignificat. Quemadmodum igitur Ægyptii ſuum quadriennium annum canicularem vocabant, qui ex iv. annis ſimplicibus, & die adjuncto conſtabat: ita Perſæ ſuum quadriennium vocabant Neuruz, quæ vox illis eſt initium veris, quaſi novus dies. Nam ut Ægyptii ortum caniculæ, ſic Perſæ principium veris civilium temporum epocham ſtatuebant, ídque hodie faciunt.

II. Ergo illi Periodo magna annorum utebantur, & intercalatione menſis unius poſt cxx. annos. Annus magnus Dei, ſive Salchodai conſtabat annis Julianis 1460, ut annus magnus canicularis Ægyptiorum. Jam verò idem in hoc anno contingebat, quod in Chaldaïco. Nam cùm caput Salchodai inſtituendum eſſet, iterum ſtatuebatur in die æquinoctii, ſive Neuruz. Per iv. annos integros dicebatur Neuruz illud Oromazda, quia illud incipiebat à primo die menſis. Secundus dies menſis vocabatur Behemen. Quadriennium ſecundum erit illi cognomine, quia ejus caput incidit in Behemen menſis. Ita nonus annus reperiebatur in Adarpahaſcht menſis, & ideò totum quadriennium dicebatur Adarpahaſcht.

Itaque qui, exempli gratiâ, fuiſſet in Kal. Martii initio quadriennii Oromazda, poſt finem quadriennii Haſchnuſch, reperiebatur in Kal. Aprilis. Ponamus illum menſem fuiſſe Adar, qui à Kal. Maii, ad Kal. Aprilis per cxx. annos tranſitum fecerit: alter Adar eo anno intercalandus erit. Nam à Kal. Aprilis ad Kal. Maias, is erit Adar prior, & Muſteraka applicabuntur illi in fine. Annus verò ſequens, Adar nimirum poſterior, erit primus menſis anni; donec 120. annis iterum exactis Muſteraka applicentur Di menſi priori, & Di alter incipiat menſem ſequentem.

Laterculum anni Perſici, atque menſis ſuprà deſcripſimus unà cum Chaldaïco.

CAPUT IX.

Elenchus doctrinæ Scaligerianæ de anno Perſico.

Persici anni methodus, & natura in Iſagogicis canonibus exquiſitiùs traditur, ex eóque libro, ubi falſa multa ſunt, præcipua ad refutandum quæque ſelegimus. Interim quæ hujus libri propria ſunt, eadémque nugis majoribus aſperſa, conſideremus.

Chaldæi olim æquabili, & Ægyptiaco anno uſos eſſe, dictum eſt, non probatum à Scaligero. De Perſis eadem ἀλόγως fingendi uſurpata licentia. Nam quòd hodie æquabilem annum obſervent, non dubium eſt. ſed quòd idipſum vetuſtiſſimi Perſæ, atque adeò à Cyri temporibus inſtituerint; oſtendi, ac demonſtrari debuerat. Etenim Curtii locus ille, quo nititur, non ſatis ad probandum idoneus videtur. *Magi*, inquit, *proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti, & ſexaginta quinque juvenes ſequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero.* Tametſi diebus circumſcribat annum ccclxv, non negat aliquot inſuper appendices horas adnumeratas fuiſſe. ſed rotundum numerum ſecuti ſunt Perſæ. uti & nos hodie, ſi quis fortè quot in anno dies ſunt interroget, totidem, hoc eſt ccclxv. reſpondebimus. Non enim plures ſunt in anno dies: horæ verò reliquæ in dierum cenſum non veniunt. Quare nondum de æquabili anno perſuadet Scaliger.

Ac de Ægyptiorum anno, quo cùm Perſicus confertur, quàm multa de ſuo ingenio commentus ſit, útque falſas appellationes tribuerit, declaratum eſt ſuo loco. Non enim toleranda eſt conjectoris audacia, qui præter veterum omnium fidem; imò contra evidentiſſima Scriptorum omnium teſtimonia; quadriennium ab Ægyptiis cum intercalari die ſervatum, atque ἔτος θεοῦ nominatum exiſtimat. quod utrumque commentitium eſt. Ἔτος θεοῦ quod eſſet illîc oſtendimus; nempe aliud eſſe nihil, quàm ſimplicem annum, aut Periodum integram æquabilium annorum 1460. Diem verò ex appendicibus horis collectum, neque palam, neque tacitè, & apud Hierophantas intercalatum eſſe, omnibus rationum momentis adſtruximus. In quo permirum illud videtur, cùm ex Arati Scholiis locum illum protulerit Scaliger, tam hoc in libro, quàm in Iſag. Can. ex quo planum fit Ægyptios ſacerdotes ab diei intercalatione tam vehementer abhorruiſſe, ut jurejurando etiam adigerentur; hanc ipſam tamen adeò præfractè illis attribuiſſe; Scholium ipſum ad illius ἀπροσεξίας fidem faciendam huc adſcribam. *Deducitur autem* (Apis) *à Sacerdote Iſidis in locum qui nominatur Adytos, & jurejurando adiguntur, neque menſem, neque diem intercalandum, quem in feſtum diem immutarent, ſed* ccclxv. *dies peracturos, ſicut inſtitutum eſt ab antiquis.* Si igitur ipſimet Ægyptii Sacerdotes diei unius intercalationem tantopere deteſtati ſunt, quis eſt tacitæ illi inſitioni, & quadriennio Juliano locus, quæ invitis, ac reclamantibus Hierophantis affinxit? Nam de Ammiani loco quàm abſurdè ſentiat, quámque ab illo commento ſit alienus, abundè comprobatum eſt.

Ægypti intercalationem deteſtati.

Illud inſuper ἀσύστατον, & perplexum eſt, quòd perinde Perſas, ut Ægyptios, quadriennium cùm appendice diei tenuiſſe, ídque Neuruz vocaſſe ſcribit. Hoc verò non modò nulla probatione fulcitur; ſed & reliquæ omni doctrinæ contrarium eſt. Quippe Perſarum annum poſt iv. annos unum diem antevertiſſe docuerat, ac non niſi poſt 1440. annos intercalari dies triginta. quod utique fieri non potuit, ſi quarto quoque occupata jam eſſet intercalatio, quemadmodum ſe Ignatio Patriarchæ reſcripſiſſe Iſag. Canon. pag. 225. teſtatur. Cujus ea verba ſunt. *In priore enim ſcribebat priſcos illos Perſas omnibus quadrienniis unum diem adjicere, & poſt* cxx. *annos unum menſem intercalare ſolitos. Ego negare utrumque conſtare poſſe. aut enim quadrante retento menſem intercalare ſuperfluum eſſe, aut ſi menſis intercalaretur, fruſtra quadrantem retineri.* Quod ipſum argumentum in auctorem retorqueri poteſt. Quomodo enim Perſæ, Chaldæíve, ſi quarto quoque anno diem unum auferebant, uti Sacerdotes Ægyptii, poſt 1440. annos menſem tricenarium intercalare potuerunt? Nam de Chaldæis iſtud ipſum exiſtimaſſe Scaligerum, manifeſtum eſt

ex eo, quod in viii. Aprilis fixum anni non ſolùm arcani caput, ſed & publici, vulgatique monſtravit; cùm ab eo die, qui in viii. Aprilis incideret, luſtris omnibus inditum nómen oſtendit. Atqui nullum Chaldæis, aut Perſis Hierophanticum annum, & à populari diverſum, uti Ægyptiis, aſſignat. Quare in ſemetipſum incurrit Scaliger, & prioribus contraria poſteriora ſubtexuit. Neque verò ab æquinoctio, ſive principio veris, annum ſuum auſpicari Perſæ potuerunt, ſi anno vago, atque æquabili, ſine ullo fræno intercalationis uterentur; neque civilium temporum epocham, ac titulum in eo ſtatuere, quod & olim feciſſe, & hodiéque ſervare confirmat. Quòd ſi ideò putat civilium temporum epocham initio veris fixiſſe Perſas; Ægyptios autem in ortu caniculæ; quoniam poſt longum illum circuitum annorum, hoc eſt æquabiles annos 1460, vel 120, ad eaſdem illas metas, cardinéſque civilia tempora revocabantur; utrobique erit abſurdum; quoniam quidem civilium temporum initium illud habetur, à quo ſingulorum caput annorum πολιτικῶς incipit, non autem illud à quo ingens aliqua Periodus inchoata progreditur, cùm in ſingulis annis longiùs inde diſcedat.

Absurda Scaligeri ſententia.

Quid illud? Satíſne probatum à Scaligero, an potiùs ſine ullis argumentis affirmatum temerè, quod hujus initio capitis injecit? *Omnibus nationibus, quæ anno æquabili uſæ ſunt, ab initio idem caput anni fuiſſe. Itaque eaſdem Neomenias menſium illas habuiſſe, hoc uno excepto, ſi quid mutatione ἐπαγομένων variabat.* Quis hoc Scriptoris ullius locus? quæ auctoritas? quæ ratio, ac conjectura perſuadet? Quis idem anni caput Chaldæos, Perſas, Armenos, Ægyptios habuiſſe docuit? An non apertiſſimè contraria toto iſto capite, ac paucis poſtea verſibus explicavit? Ægyptii, ut idem aſſerit, caput anni ab ortu caniculæ ſumpſerunt; Perſæ cùm Chaldæis ab æquinoctio verno. Quomodo caput idem anni eſſe utriuſque potuit? Hæc ſunt Scaligerianorum commentorum ὑπνώματα. quibus reliqua hujus capitis doctrina conſentanea eſt.

II. Quamquam enim in fine operis pag. 744, nonnulla emendare eſt aggreſſus, tamen non magis illic quid ſcriberet intellexit: & ne retexere omnia, ac mutare cogeretur, rem totam obſcurando, implicandóque lectorum ingenia fatigare ſtuduit, ac per ambages, & labyrintheos amfractus circumducere, quo ſe erroréſque ſuos craſſiſſimos perſpicacibus oculis eriperet. Nos hominem ſuis involucris, atque integumentis evolutum, prorſúſque conſtrictum, in lucem, atque omnium oculos extrahemus, & hallucinationes, παραλογισμοὺς, ἀντιμαχίας, atque innumera erroris argumenta clarè, & dilucidè proponemus.

Fuerat illud ſanè valde inſcitè traditum: Perſarum Periodum magnam, ſive Salchodai annis conſtare 1460. quod is tamen certo conſilio, atque ex animi ſui ſententia ſcripſerat, ne quis fortè Librariorum vitio mendum irrepſiſſe ſuſpicetur, ut pro 1440. annis 1460. poſuerint. Nam reliqua, quæ ad finem capitis tractantur, & ipſum emboliſmorum diagramma ſatis indicant, 1460. annos Perſarum Periodo tributos fuiſſe: præſertim cùm eadem illa totidem verbis in priori editione legantur. Quæ quidem tametſi perſpicuè falſa ſint, & pugnantia quoniam nonnullum abſurditatis illius ſenſum præ ſe tulit, atque in fine operis corrigenda utcumque cenſuit, ne littera quidem attigiſſem, niſi in illo ipſo loco, ubi errata caſtigavit, magnam partem labis illius, erroríſque diſſimulatam, ac novis in medendo ulceribus confoſſam omnem illam Perſici anni doctrinam animadverterem. Quare ut poſteriora illa non erroris, ac morbi remedia, ſed incrementa prodantur; ea patefieri atque explicari neceſſe eſt, quæ hoc in capite editionis utriuſque tractantur.

Caput, inquit ille, Salchodai à verno æquinoctio ſumebatur. Eſto igitur quadriennium primum Oromazda, quòd à die æquinoctiali cœpit, ſecundum quadriennium vocabitur Behemen, quia ejus caput incidit in Behemen menſis, &c. Quæro qui fieri poſſit, ut ſecundum quadriennium ineat à Behemen, ſive ſecunda die menſis. Siquidem annus Perſicus idem eſt cum Ægyptiaco; & poſt quatuor annos Neomenia illius unum diem antevertit. Fingamus, exempli gratiâ, primum quadriennium inchoari ab viii. die Aprilis. Oromazda, ſive primus dies Adar (ut ab hoc menſe Salchodai Perſicus ineat) cadet in Apr. viii. Behemen, ſive ſecunda dies Adar in ix, poſt annos iv, ſecundo ineunte luſtro, Oromazda, ſive Neomenia Adar tranſitum fecerit ad vii. Aprilis, Behemen ad viii. Anni porrò caput idem, ni fallor, eſt, quod & primi menſis, nimirum Oromazda. Hic enim menſem, annúmque ducit. Igitur quadriennium ſecundum incipiet à vii. Aprilis hoc eſt ab Ormizda, non à ſecundo, videlicet à Behemen. Nam ſi ab hoc inciperet, quadriennium merè Julianum foret, ac præter annos iv, diem etiam intercalarem aſſumeret quod eſt contra hypotheſim. Quippe annum æquabilem & ccclxv. diebus præciſè definitum Perſis aſſignat. Falſum eſt ergo quadriennium ſecundum à Behemen auſpicatos eſſe Perſas. Quod ſi facerent, epocham annorum in viii. Apr. retinuiſſent, ideóque diem ſingulis luſtris intercalaſſent; ac Neomenia ipſa minimè, ut apud Ægyptios, paullatim anticipaſſet: neque verum illud eſſet: quod affirmat, Perſas non niſi poſt annos cxx, collectos ex luſtris ſingulis dies, & in tricenarium menſem conflatos adjeciſſe, ut ad priſtinam Epocham annus rediret.

Pergit deinde, & emboliſmos ità digerit. Sit Adar primus menſium, íſque à Kal. Aprilis ad Kal. Maii cxx. annorum ſpatio receſſerit, confectis annis illis alter Adar intercalandus erit. Itaque à Kal. Apr. ad Kal. Maii, erit Adar prior, cui Muſteraka, id eſt αἱ ἐπαγόμεναι applicabuntur. Anni verò ſequentis initium erit Adar prior, &c. Quot in illis verbis ſyllabæ ſunt, tot portenta ſunt hallucinationum, quæ in calce libri minimè ſuſtulit. Perſici anni vera, & germana methodus ex Scaligeri placitis ea colligitur. Poſtquam menſis aliquis, utputà Adar, annum duxerit, Sari unius, ſive annorum cxx. ſpatio, ac princeps menſium fuerit, ubi tricenorum dierum anticipatio collecta eſt, & à Kal. Maii, exempli cauſâ, ad Kalendas Apriles Neomenia receſſit, anno demum cxxi, cùm Neomenia Adar à primo Aprilis inchoanda foret; Epagomenæ verò à die Martii xxvii, pro Neomenia ἐπαγομένων ſubſtituetur Neomenia Adar; ἐπαγόμεναι verò trajicientur in finem Adar, cùm antea poſt Aben ſubjicerentur. Itaque annus Sari poſtremus, ſive centeſimus viceſimus, menſibus xiii. conſtabit, quorum i. & xiii, eſt Adar, cujus intercalatione caput anni ſequentis ad priſtinam epocham, quam Kal. Maiis eſſe fingimus, revocabitur, ſed in ſequente Saro Di, qui hactenus ſecundus menſis fuerat, primus erit, & poſt ἐπαγομένας deinceps incipiet; donec, confecto Sari alterius intervallo, Behemen, qui eſt menſis poſterior, principatu ceſſerit, atque epagomenæ à fine Adar ad finem Di trajicientur. Hæc eſt anni Perſici veteris methodus, quæ in iv. lib. pag. 276, & in Iſag. Can. traditur.

Hîc verò neſcio quid cogitans ait, poſt expletos cxx. annos, cùm à Kal. Maiis ad Kal. Apriles Neomenia Adar tranſitum fecerit, menſem illum, qui intercalatur, quíque totum illud intervallum à Kal. April. ad Kal. Maias occupat, Adar eſſe priorem, & Muſteraka, ſive appendices v. dies, illi in fine applicari: tum anni ſequentis initium, primúmque menſem, eſſe poſteriorem Adar. Ex quo abſurda plurima ſequuntur. Primùm duos Adarim proxime ſe conſequi; nimirum Adar priorem, qui intercalatus dicitur, & poſteriorem, à quo annus ſequens orditur. Hoc autem doctrinæ repugnat. Deinde ſi Neomenia Adar à Kal. Maii ad Kal. Apr. per xxx. dies migraverit, Muſteraka, quæ fini antecedentis anni ac menſis ſubjecta ſunt, utique in Martii xxvii. tranſitura fuerant. Ea porrò in finem Adar, ſive inſititii menſis trajicit Scaliger, quem menſem à Kal. Apr. ad Kal. Maii porrigi ſcribit. Igitur Neomenia ἐπαγομένων erit in Kal. Maii, & annus ſequens ac menſis inibit Maii vi, unde fiet ut κατὰ μετάπτωσιν anni caput in poſteriora deſcendat, ac ſolidis quinque diebus poſt annos cxx. à priore Epocha luxetur. Non igitur poſt annos cxx. Perſicus annus ad priorem cardinem revertitur. Accedit etiam, quòd poſtremus ille annus decem appendices dies habeat. Etenim cùm Neomenia Adar anno cxxvii. à tertio die Aprilis ad ſecundum tranſierit, epagomenæ ad xxviii. Martii: poſt annos finitos iv, anno videlicet cxxi, eadem Neomenia inchoari debebat Aprilis i, Neomenia autem ἐπαγομένων Martii xxvii. At Scaliger ἐπαγομένας trajicit in finem Adar intercalaris, quem à Kalend. Aprilis ad Kalend. Maias extendit. Quare dies illi v, qui poſt Aben à xxvii. Martii ad xxxi. ſubjiciuntur, eidem Aben arrogandi ſunt, ut ha-

beat xxxv. dies. Rurſus poſt Adar quinque dies appendices adjicientur: erunt ergo dies x. additii; quod eſt inauditum.

Verùm ne iſtic quidem Scaligeri hallucinatio conſiſtit. Nam in Diagrammate ipſo, & contraria, & fœdiora propoſuit, quod hîc periclitandi cauſsâ deſcribam.

LATERCULUM EMBOLISMORUM magni Neuruz, pag. 199. libr. III. de Emendat. Temp.

	Emboliſmi magni Neuruz.	Muſteraka.
0	Adar 28 Martii	23 Martii
120	Adar 28 Martii	23 Martii
240	Di 27 Aprilis	22 Aprilis
360	Behemen 27 Maii	22 Maii
480	Aſphandar 26 Junii	21 Junii
600	Phrurdin 26 Julii	21 Julii
720	Adarpahaſcht 25 Auguſti	20 Auguſti
840	Chardad 24 Septembris	19 Septembris
960	Thir 24 Octobris	19 Octobris
1080	Mardad 23 Novembris	18 Novembris
1320	Scheheriz 23 Decembris	18 Decembris
1440	Mehar 22 Januarii	17 Januarii
1460	Aben 21 Februarii	16 Februarii

In eo Diagrammate quos emboliſmos appellet, divinandum nobis eſt, utrumnam menſes ipſos, quos in ſubjecto colo poſuit, an quos ipſe non expreſſit, ſed proximè illis ipſis, quos deſcripſit, anteriores intelligi voluit. Emboliſmum enim ab embolimo ita diſtinguit, lib. 1, ut ſit emboliſmus actio ipſa intercalandi, embolimus menſis ille, qui intercalatur. Sunto igitur emboliſmi, intercalationes menſium eorum, quos proximè notati illi, ac deſcripti ſequuntur. Ut cùm in anno Periodi 0. Adar xxviii. Martii cœperit, & anno 120. eumdem in diem inciderit, emboliſmus ſit intercalatio Adar prioris, qui fuit xiii. menſis anni cxx, cujus in finem conjecta ſint Muſteraka, & ita annus cxxi. à xxviii. Martii initium ducens Adar poſteriorem menſium principem habuerit.

Nam & ratio ipſa poſtulat, ut primus anni menſis ille ſit, qui poſt epagomenas incipit, & in fine libri, ubi Diagramma reformatur, primos anni menſes eſſe, qui iſtic deſcripti ſunt, titulo ipſo demonſtrat. Ut igitur laterculum diſcutiamus; primum in eo vitium eſt, quòd bis in eadem epocha menſis primi, & epagomenon Neomenias poſuit, nempe in anno 0, & 120. Periodus illa 1460. annorum circuli rationem habet. unde primus ejus annus proximus eſt à poſtremo, & annus 0, idem eſt ac 1460. Quocirca cùm annus 1460. ſive qui initium Periodi totius anteceſſit, Neomeniam epagomenon in xxiii. Martii defixerit, Neomeniam verò primi menſis xxviii. Martii; utraque Neomenia per annos cxx. triginta dies antevertit: adeo ut anno cxx. Neomenia epagomenon ad xxi. Februarii tranſierit, Neomenia Adar ad xxvi. menſis ejuſdem. ſed pro Neomenia epagomenon, anno exeunte centeſimo viceſimo, indicitur Neomenia Adar prioris xxi. Februarii, quo deſinente in xxii. Martii, ex vera Perſici anni methodo, Neomenia epagomenon ſtatuitur in xxiii. & xxviii. Martii non Adar, ſed Di Neomenia collocanda fuit. ſed ex hallucinatione doctrinæ capitis hujus nondum epagomenæ in xxiii. Martii conferuntur: verùm alter Adar, idémque poſterior, init Martii xxiii, cujus in calcem conjectis epagomenis, Di primus anni menſis cadit in xxvii. April. Hoc enim ſervatum deinceps vides ab anno, cui adſcripti ſunt 120, ad ultimum, cujus ad latus 1460. notantur. Exempli causâ, cùm expletis annis cxx, epagomenæ in xxiii. Martii eſſe cœperint, Neomenia verò Adar xxviii. Martii, anno ccxl. vertente, poſtquam Neomenia epagomenon à xxiii. Martii ad xxi. Februarii migraverit, Neomenia Adar ad xxvi, pro Neomenia epagomenon, indictâ Neomeniâ prioris Adar, & poſteriore Adar à xxiii. Martii inchoato, epagomenæ incipiunt xxii. April. & Neomenia Di ejuſdem menſis xxvii, à quo & annus ccxli. initium capit. Quod in reliquis Sarorum clauſulis uſque ad ultimum conſtanter obſervat. Nam evoluta magna Periodo, Mehar, qui anno 1441. ad xxi. Januarii pervenerat, ac deinceps ordinem ducens anno 1460. in Decembris xxviii. tranſierat, intercalatus eſt: ac pro epagomenon Neomenia, quæ in xxviii. Decembris convenire debuerat, ſtatuta eſt Neomenia Mehar xiii. menſis; tum xvii. Januar. Mehar alter: demum xvi. Febr. Neomenia epagomenon, ac xxi. Februarii Aben ſubſtitutus eſt ineunte anno 1461, ſive 0. Peſſimè itaque Scaliger inter ultimum 1460, & primum 120. annum 0. inſeruit; ut ineunte Saro, Neomenia menſis primi, & epagomenon iiſdem diebus inſiſteret, in quos ineunte cxxi. conjicitur. Quod ut animadverti poſſit, Diagramma Scaligerianum hîc emendabimus.

Anni Periodi.	Emboliſmi magni Neuruz.	Muſteraka.
120	Adar 28 Martii	23 Martii
240	Di 27 Aprilis	22 Aprilis
360	Behemen 27 Maii	22 Maii
480	Aſphandar 26 Junii	21 Junii
600	Phrurdin 26 Julii	21 Julii
720	Adarpahaſcht 25 Auguſti	20 Auguſti
840	Chardad 24 Septembris	19 Septembris
960	Thir 24 Octobris	19 Octobris
1080	Mardad 23 Novembris	18 Novembris
1320	Scheheriz 23 Decembris	18 Decembris
1440	Mehar 22 Januarii	17 Januarii
1460	Aben 21 Februarii	16 Februarii

Jam ex laterculo iſto cognoſcimus, quantum à ſuperiore capitis hujus doctrina diſcrepet. Nam cùm paullò ante ſciviſſet, poſt annos cxx, cùm jam Adar triginta dies antevertiſſet, ultimo anno xiii. menſem, & quidem Adar priorem intercalandum, cui Muſteraka ſubjicerentur; tum ut poſterior Adar inſequentem annum ordiretur, ex quo illa conſequebantur abſurda, quæ ſuprà diſputavimus: nunc mutata ratione, laterculum duos menſes inculcat, & poſt xiii, qui eſt Adar prior, proximè alterum Adar pertexens, huic, non priori, Muſteraka tribuit, atque ita novum annum non ab Adar, ſed à Behemen incipit. Qua ex deſcriptione tota Perſici anni, ac Periodi Salchodai ſtructura labefactatur. Etenim poſt annos cxx, Neomenia, quæ xxx. diebus in anteriora migrationem fecerat, non ad eamdem epocham revertitur, neque diebus dumtaxat quinque infra illam labitur, ſed diebus ſexaginta ab illo, quò evagata fuerat, termino peſſum abiens, ab epocha vetere, triginta, methodum conturbat. Itaque menſes ſinguli κατὰ μετάπτωσιν in conſequentia præcipitantur; &, quod omnes omnium abſurditates ſuperat, poſt annos cxx. duo menſes intercalares inculcantur. Exempli causâ, anno cxxi. Adar dux menſium factus eſt, eúmque locum uſque ad annum ccxl. tuetur, quo à xxviii. Martii, à qua epocha cœperat, ad xxvi. Februarii progreſſus eſt. Quo quidem anno Adar triplex fuit: nempe primus, à quo annus iniit, cujus Neomenia convenit in Februarii xxvii: Secundus fuit xiii. menſis, cujus Neomenia loco epagomenon Neomeniæ ſubſtituta eſt, Februarii xxi. Tertius fuit Adar poſterior, qui Neomeniam habet in xxiii. Martii; cui ſubjiciuntur epagomenæ. atque ita Di primus menſis anno ccxli. incipit die Aprilis xxii. Tertium illum Adar dixerat paullò antè novi anni principem eſſe; eúmque poſt Muſteraka ſubtexuerat. ſed in laterculo aliud inſtituit. ſecundùm quem in tota Periodo menſes in conſequentia deſcendunt, & per vices annum aperiunt, claudúntque.

Quam-

Quamobrem cùm tot in uno capite ἐναντιολογίαι ſint: atque ex contextu quidem ipſo Scaligeri, poſt intercalationem xiii. menſis, utputà Adar, & epagomenas ab Aben ad ipſum traductus, poſterior Adar annum ſequentem aperiat, cujus Neomenia quinque diebus infra veterem epocham deſcendit: ex laterculi verò fide, annus inſequens non ab Adar poſteriore, ſed ab altero menſe, nimirum Di inchoetur, ac xxx. diebus infra epocham conſiſtat, & menſes ei anno intercalares duo competant: in fine Operis totius, ubi quæ errata, vel omiſſa fuerant, ſubjicit, de iis, quæ in contextu perperam, ac vitioſè concepta fuerant, penitus tacuit; Diagramma verò ſolùm emboliſmorum correxit. Quam illius emendationem hîc adſcribam.

Anni.	Menſes primi in xxviii. Martii.	*Vahac, ſive Epagomenæ antiquæ* xxi. *Febr.* *Vehac novæ in* xxvi. *menſis Perſici.*
1	Adar.	
121	Di.	
241	Behemen.	
361	Aſphandar.	
481	Phrurdin.	
601	Adarpahaſcht.	
721	Chardad.	
841	Thir.	
961	Mardad.	
1081	Scheheriz.	
1321	Mehar.	
1441	Aban.	

In hac Tabula revocata eſt priſca Periodus ad annos 1440, & epagomenon Neomenia infra xxiii. Martii non progreditur; uti neque primi menſis Neomenia ultra xxviii. Quare conſentanea eſt hac ex parte emendatio illa Doctrinæ libri iv, & Iſag. Canon. etſi quod ad epocham attinet, aliter ſentit in Iſag. Canon. de quo poſteà. Sed eadem illa primùm ſuis ac propriis erroribus inficitur. Nam epagomenas novas convenire ait in xxvi. menſis Perſici. Atqui completo jam intercalari menſe ſubjiciuntur: qui & xxi. Febr. cœpit, & xxii. Martii deſiit. Proinde epagomenæ cœperunt Martii xxiii, non utique in xxvi. menſis Perſici. Ad hæc annum illum, qui poſtremus eſt Sari, vel Neuruz periodici, quíque xiii. menſibus præditus eſt, ab Aban inchoari, & in Aban deſinere cenſet: atque inter duos Aban xi. menſes interceptos habere. Hoc verò falſum eſt. Nam duo ſunt Adarim, non Aban. Sed errata illa duo ceteris leviora, ac tolerabiliora ſunt. Illud verò minimè ferendum, quòd cùm emendatio illa Diagrammatis, quam libro huic, & capiti intexendam in calce propoſuit, cùm ejuſdem capitis doctrina non minùs pugnet, quàm prius illud Diagramma, quod libro xiii. deſcriptum eſt; ſolum Diagramma reformarit, de vitioſa contextus methodo Lectorem non monuerit; quæ, uti dixi, tam à ſubjecto ſibi laterculo, quàm ab emendato vehementer diſſidet. Triplex enim, & contraria doctrina tribus illis in locis explicatur: nempe duæ in hoc, quod oppugnamus, capite; ac tertia in calcem operis collata. In priori loco Tabula methodum illam evertit, cui explicandæ ſubjicitur. In poſteriore quæ proponitur Tabula, illi utique contraria eſt. Meritò itaque triplex illa ratio diligentiùs à nobis excuſſa eſt, & auctoris inconſtantia ac tergiverſatio detecta. Nunc ad Iſag. Canon. methodum ſtylum noſtrum operámque transferamus.

CAPUT IX.

Quæ in Iſag. Can. lib. III, pag. 255. de anno Perſico tradantur à Scaligero.

QUONIAM quæ de Perſico anno in his de temporum emendatione libris expoſita ſunt, nonnullis mira & incredibilia videbantur, & à Scaligero temerè potiùs effutita, quàm ex veterum monimentis obſervata; propterea coactum ſeſe dicit altiùs rem repetere. Audite igitur atque togam componite. Nam arcana ipſa Perſici anni totiúſque methodi principia pollicetur. Poſtquam attentum hac denunciatione Lectorem reddidit, fontes ipſos doctrinæ nobis aperit, atque hunc in modum diſputat. Ignatius Patriarcha Antiochenus ſuper hujuſce Periodi magnæ Perſarum cauſſis conſultus ea reſpondit, quæ hactenus de anno Chaldaico, ac Perſico tradita ſunt: nimirùm Perſas veteres annum æquabilem Ægyptiorum more ſervaſſe, tum poſt cxx. annos menſem integrum ex quadrantibus conflatum intercalaſſe. Adjecit & transferri ſolitas alterum in menſem epagomenas, quotieſcumque magnus aliquis princeps exoriretur. Porrò Epagomenas ad eum menſem appoſitas, qui in fine iterabatur. Hæc ſummatim Patriarcha. Cui Scaliger, cùm in omnibus aſſentiri ſe dicat, in hoc diſſentit uno, quòd non putet omnibus Regibus, trajectione furtivarum dierum annum innovatum. Hoc enim dumtaxat in Neomenia æquinoctiali, aut Neomenia Epochæ factum aſſerit, quæ ambæ in hominum poteſtate non erant.

Addit Perſas veteres ab ultima antiquitate ſuperſtitioſè diem æquinoctii obſervare ſolitos; idque hodie facere. Nam quocumque diei momento Neuruz acciderit, ab eo Neomeniam anni indicunt. Ac quemadmodum Ægyptii non ab ea hora diei ſemper annum inchoabant, ſed à ſingulis νυχθημέρου quadrantibus, ut diſertè docet Ammianus, ita Perſæ antiquitus à quadrantibus annum inceperunt. alioqui numquam luſtra ab Heroë ad Heroem tranſiiſſent. Quare annum primum primi luſtri à mane Oromazda inchoabant: ſecundum à meridie: tertium à veſpere: quartum à media nocte, primum ſecundi luſtri à mane Behemen. Idem faciunt Judæi in ſuis Tekuphis; quibus hodie nihil eſt vetuſtius in ea gente. Ante legem enim illis earum uſus erat. Quare non ex abrupto diem intercalabant, ut hodie fit in anno Juliano, ſed quadriennio vertente unus dies illis imprudentibus accreſcebat.

CAPUT X.

Elenchus doctrinæ Perſici anni, quæ in Iſagogicis Canonibus traditur.

TAM nova, & inuſitata Perſici, & Chaldaïci anni ratio, tam hactenus ignota, tam acriter à malevolis impugnata, & irriſa, vehementem aliquam probationem, auctoritatémque flagitabat, quæ ab invitis etiam fidem, & aſſenſionem exprimeret. Hoc cùm attentus Lector expectaret, cùm ex reconditis, & arcanis Arabum voluminibus grave aliquod teſtimonium producendum putaret; ecce tibi velut ex machina Patriarcha neſcio quis ex illa fæce Orientalium χθὲς καὶ πρώην emerſus in medium adducitur. Unius igitur hominis Schiſmatici, & obſcuri privatim ad Scaligerum datæ litteræ rei tantæ, támque inauditæ firmamenta continent. Tot illa de Perſico, & Chaldaïco anno nondum cognita noſtris, támque abſtruſa; omnes illæ Periodi, mediocres, maximæ; omnia illa Sarorum, Salchodæorum, Neomeniarum, Panegyreon, Characterum, trajectionum, epocharum myſteria nullo alio fundamento, ac probatione, quàm Ignatii Patriarchæ ſcriptis ad Scaligerum litteris, & auctoritate nituntur. Hæccine demonſtrandæ rei graviſſimæ ratio homini venire potuit in mentem? Ubi ſunt Arabes illi veteres, qui cùm de anno Iezdegirdico diſputant, ea de anno Perſarum docent, quæ in his libris tractantur, de anno magno MCCCCXL. annorum, & illius magnis menſibus cxx. annorum? Cedo ullius in tam immani diſputatione nomen, ac teſtimonium, quod à Scaligero depromptum ſit, præter Ignatii illius epiſtolam. Ego verò tametſi id Arabes omnes aſſeverarent, negarem illos de Perſarum, Chaldæorúmque vetuſtiſſimis temporibus ſatis idoneos eſſe teſtes. Quemadmodum Judæis longè Arabum factione omni vetuſtioribus fidem & nos derogavimus, neque ipſe credit Scaliger, cùm de majorum ſuorum annis, & Judaïcorum ordinandorum temporum methodo, ac forma diſputant. Quapropter Arabes quidem de populari anno ſuo differentes audio, ab iiſque methodum ejus libenter accipio. De vetuſtis autem Perſarum, & Chaldæorum, aut majorum etiam ſuorum annis quidquid dixerint, niſi aliunde & ex antiquorum voce conſtet, non temerè fidem adhibeo. Verùm ne eo quidem auctoritatis genere munitam novam illam doctrinam objicit Scaliger, neque ſaltem infimæ vetuſtatis ſcriptorem affert ullum: ſed obſcuras, & ignotas homuncionis unius litteras profert, hoc eſt è ſinu ſuo, & οἴκοθεν μάρτυρα nobis allegat. Quid hoc aliud eſt, quàm poſteritati, ac litteris illudere? Verùm agedum hoc nos teſte

contenti

contenti ſimus, neque juſtiſſima illa vel antiquitatis, vel auctoritatis exceptione abſterreamus hominem; ſit illud ratum, quodcumque Patriarchicum illud oraculum ediderit; dum vel eo ſtare ipſe velit, qui hoc utitur; dummodo non interpolatum, ac depravatum ex ingenio ſuo; ſed ſincerum, & ut ab auctore profectum eſt, ſequi nos, amplectíque patiatur. Sed non ſinit. Primus autem ipſe quem ſubornaverat teſtem caſtigat, ac refellit. Cùm enim Patriarcha pronunciaſſet, epagomenas toties transferri ſolitas, quoties magnus aliquis Princeps oritur, reprehendit iſtud Scaliger, & falſum putat, id in omnibus magnis Regibus eſſe factum, cùm in æquinoctiali Neomenia, vel in ea, quæ in epocham longo intervallo rediret, dumtaxat contigerit. Verùm nimium equidem ſcire velim cujus iſtud ex auctoris monimentis, aut Patriarchæ cujus litteris expiſcatus fuerit. Cur enim illud improbat, quòd ab Antiocheno iſto didicerat? Aut quòd rationis momentum auctoritati ejus opponit? Nam illa ſanè Æquinoctialis Neomenia prout à Scaligero deſcribitur, commentum eſt frivolum, & ἀσύστατον, ut in ſuperiori capite, quo de anno Chaldaïco egimus, manifeſtè probavimus. Quiddam enim fundamenti loco poſuit, quod probationis ipſum egebat, nimirum epocham anni in VIII. Aprilis defixam fuiſſe, atque infrà metas æquinoctii conſtitiſſe, quòd paullatim in antecedentia progreſſum priſtinum limitem relinqueret. Hoc verò numquam illi concedemus. Nam ſive Perſæ προήγησιν æquinoctiorum agnoſcerent, cùm æquinoctialem cardinem adeo ſtudioſè conſecuti fuerint, epocham anni ſui paribus cum æquinoctiali puncto progreſſionibus anticiparunt. ſive in eodem die, ſine ulla προηγήσει, manere æquinoctia crederent, nulla alia Neomenia præter eam, quæ Sarum inchoaret, æquinoctialis eſſe potuit: ſiquidem æquinoctialem annum, & Ægyptiacum tenuerint. Quippe Neomenia Sari ab æquinoctiali die retrocedens, numquam in ipſum, niſi poſt CXX. annos, in anno Perſico relabetur. Qua in re ſecum velitari Scaligerum, & hallucinari monſtratum eſt. Etenim pro eo atque Neomeniam æquinoctialem definit, ea quolibet quadriennio contingit. Quid eſt Neomenia æquinoctialis? quando character Sari incidit in æquinoctium, ex definitione V. in Iſag. Can. Eſt autem character Sari ex definitione VII. nomen Herois, quo Neomenia Sari per quadriennium ſolidum cognominatur. Itaque poſt ſingula quadriennia mutatur character, fitque μετάβασις ab uno Heroë in alterum ex VIII. definitione. Ex quibus omnibus inter ſe comparatis, evidens eſt vel ſingula luſtra ab æquinoctiali Neomenia auſpicari, & æquinoctialia dici ex definitione X. vel poſt primam æquinoctialem Neomeniam reliquas, quæ quadriennia deinceps inchoant, æquinoctiales cenſeri. Si enim æquinoctium in uno die fixum, atque immobile conſtitutum fuerit, quod eſſe probabilius ratio ipſa ſuadet, tum Neomeniæ omnes æquinoctiales, ex Scaligeri definitionibus, habendæ ſunt. Nam ſingularum character in æquinoctialem epocham incurrit; quoniam & characterum, atque Heroum mutatio fit; ita ut poſt quadriennium, Ormizdæ ſequatur quadriennium Behemen; & characteres ipſi in æquinoctium incidunt. Poſtquam enim Oromazda luſtrum ſuum in æquinoctiali die confecerit, in eumdem ſuccedet Behemen, eritque character æquinoctialis; ac proinde Neomenia æquinoctialis ex definitione IX. Sin eſt autem, ut epocha Sarorum in veteri termino æquinoctiali remanente, æquinoctium ipſum εἰς τὰ προηγούμενα progreſſionem fecerit, exempli cauſâ, in XXVII. Martii; tum XIII. luſtri Neomenia ab eo die incipiens luſtrum æquinoctiale conſtituet, ex alia Scaligeri doctrina: quamvis ex alia, quæ Neomeniam æquinoctialem definit, quando character Sari incidit in æquinoctium, neque Neomenia tunc æquinoctialis habenda ſit, neque luſtrum; quoniam character XIII. luſtri, qui eſt Meharſeruch non in XXVII. Martii, ſed in VIII. Aprilis incurrit, ut ſuprà deſcriptum eſt. Graviùs exinde diſſentit à ſe ipſo, methodúmque ſuam implicat, & evertit, cùm ait Perſas ab omni antiquitatis memoria diem æquinoctii ſuperſtitioſè ſervaſſe, atque annos ſingulos non ab eodem νυχθημέρου puncto, ſed à quadrantibus inchoaſſe. Quod ſi verum eſt, tum eſt falſa omnis anni Perſici doctrina; neque quicquam Scaligero faciendum magis eſt, quàm ut taceat, ac nugari deſinat. Si enim Perſæ veteres æquinoctialem diem anni ſui caput eſſe voluerint, fieri non poteſt, iidem ut æquabilem, & Ægyptiacam anni formam admiſerint: in qua Neomenia primi menſis, atque anni pedetentim ab æquinoctio diſcedit, ac triginta demum ſolidis diebus antevertit. Quare non poterant Perſæ ſingulis annis æquinoctium obſervare, ut ab eo annum novum, ſive Neuruz ordirentur; aut ſi æquinoctii rationem habuerint, ſi à quadrantibus inſuper annos ſingulos auſpicati ſint, non æquabili anno, ſed Juliano ſunt uſi. Diem enim quarto quoque anno intercalarunt; quòd utrum tacitè, ac furtivè, an apertè fecerint, nihil ad rem pertinet. Nihilominus enim dies ille ad annos accedens eorumdem caput veteri in epocha continuit, atque evagari prohibuit. Unde unum idémque fuerit annorum omnium initium, ac fixum. Ac de Ægyptiis quidem quàm futilis eſſet conjectura Scaligeri, ſatis antea demonſtravimus, capite de anno Ægyptiaco, ubi ex Ammiani loco nihil hujuſmodi probari poſſe manifeſtum fecimus. Neque enim Ammianus Ægyptios, aut ullos omnino mortales civiles, aut Hierophanticos annos à quadrantibus, & τοῦ νυχθημέρου ſegmentis inchoare ſcripſit: ſed quæ Juliani quadriennii ratio eſſet, in ordinariis, ac communibus annis edocuit. Quòd ſi iſtud tamen de Ægyptiaco anno poſſet evinci; non ideo de Perſis, ac Chaldæis idem ſine expreſſo aliquo Scriptoris idonei teſtimonio liceret aſſerere. Nam ut id Ægyptios obſervare ſolitos oſtenderet, utcumque Ammiani auctoritatem adhibuit, & duplicem illis annum attribuit: alterum popularem, atque omnibus cognitum; alterum ſacerdotalem, & ignotum vùlgo; in quem diverſa illa à quadrantibus initia competerent. Quæ etſi ex fabulis, & mendaciis concreta ſint; tamen contradictionem illam effugiunt, quam diximus, ut idem annus in luſtro quoque Juliano diem unum anticipaverit; & nihilominus diei intercalaris ope fixum, atque immobile caput habuerit. In Perſico, & Chaldaïco anno nihil ſimile, non dicam, probatum à Scaligero (neque enim id in Ægyptiaco anno præſtitit) ſed ne confictum quidem. Non ille teſtimonium ullius auctoris adhibuit; non omiſſis veterum teſtimoniis, ſua ſaltem, quæ graviſſima ſcilicet eſſe potuit, auctoritate pronuntiavit, duplicem illum annum proinde illos, ut Ægyptios, habuiſſe. Quapropter inexplicabilibus ſeſe laqueis irretivit, & fallacem, ac nugaciſſimam ſuam omnem eſſe methodum, non alia quàm propria voce, ac diſputatione confeſſus eſt.

De Judæorum Tekuphis eadem pugna, dogmatúmque contrarietas eſt. Hîc enim Judæos nihil antiquius habere Tekupharum, ſive quadrantum quatuor obſervatione dicit. Alibi verò illud negat. Nam Judæos ipſos veteres unam tantummodò Tekupham ſervaſſe multis in locis aſſeverat. veluti lib. IV. *Temporibus*, inquit, *Moſis Tekupha unica tantùm dicebatur punctum interjectum inter finem anni antecedentis, & caput ſuccedentis, ídque in Autumno.* Et certè unius dumtaxat Tekuphæ in ſcripturis mentio fit. Ut Exodi XXXIV, 22. ſcenopegia celebrari jubet בתקופת השנה, anno vertente. Temeraria itaque ſententia eſt iſta Scaligeri; *Judæos nihil vetuſtius habere Tekuphis ſuis, & ante legem earum apud illos uſum exſtitiſſe.* Quod ex diametro contrarium eſt alteri illi decreto, quod in IV. hujus operis libro pronunciaverat. Vides ἀλογίαν hominis, ac præcipitem inconſtantiam? Sed nec illud verum eſt; Judæos diem ullum intercalaſſe; quod ſuo loco demonſtravimus.

De Judæorum Tekuphis conflictus Scaligeri.

pag. [illegible]

CAPUT XI.

De eodem Perſico anno, & Iſdegerdica æra, divinationes, & hallucinationes Scaligerianæ refutantur. Scaligeri doctrina ex lib. III. Iſag. Can. pag. 257.

PERGIT ὁ θαυμάσιος Ignatius, inquit Scaliger, & ſub antiquis Perſarum Regibus priorem illam anni formam obſervatam eſſe dicit, uſque ad tempus Iſdegerdis poſtremi Perſarum Regis, qui à Sarracenis victus, & occiſus eſt anno Chriſti DCXXXII. Tum enim omiſſo Salchodai vetere, & menſis intercalatione, quæ poſt CXX. annos fiebat, habenas anno ſuo laxarunt, & canicularem Ægyptiorum periodum amplexi ſunt, ex annis Julianis compoſitam mille quadringentis, ac ſexaginta. Tempore igitur Iſdegerdis nova huic epocha ſtatuta eſt, & epagomenæ, quæ tunc erant in fine Aben, tranſlatæ ſunt. Interfecto dehinc Iſdegerde, Aſtrologi quinque dies appendices in finem Aſphandar menſis tranſtulerunt. Hæc Ignatius. In quibus deeſſe duo cauſatur Scaliger; alterum cauſam inſtaurationis Epochæ; quam ideo putat eſſe factam, quòd Neomenia Di in XVIII. Martii caderet, & eſſet æquinoctialis. Alterum eſt locus, in quem ab Aben trajectæ ſunt Epagomenæ, quem ille Adar eſſe ſuſpicatur. Atqui hæc eſt, inquit, celeberrima illa Jezdegirdiſæra, qua hactenus Aſtrologi Perſidos omnes utuntur. Præterea reprehendit illud, quod Patriarcha ſignificaverat; à tempore Jezdegirdis luxatum fuiſſe Perſicum annum. Hoc autem diu antè contigiſſe & ratione, & auctoritate demonſtrat; ratione, quoniam cùm epagomenæ anno primo æræ Jezdegirdis tranſlatæ ſint à XII. Februarii ad XIII. Martii; ſi ad XII. Februarii pervenerant, extra vernale intervallum erant, quod eſt intra IV. Martii, & III. Aprilis, ut neque ulteriùs in antecedentia niti, neque in conſequentia peſſum ire poſſent. Auctoritate porrò Iſaaci Monachi idem aſſeverat, qui CCCXII. annis ante æram Jezdegirdicam, novam periodum Canicularem apud Perſas iniiſſe tradit, id eſt anno Chriſti CCCXXV. quo quidem Neomenia Di in III. Junii competebat, Adar IV. Maii, Neomenia Epagomenon XXIX. Aprilis in fine Aben, cui deinceps ad æram uſque Jezdegirdicam attextæ ſunt. Unde cùm epagomenæ integro menſe luxatæ infra terminum vernalem deſcenderint; novam oportet inſtitutam Periodum in gratiam Saporis Geſmid, traductione epagomenon à fine Mehar ad finem Aben. Neque enim aliter fieri potuit. Proinde Neomeniæ ἐπαγομένων priſcarum ſedes erat XXX. Martii, anno Chriſti CCCXXV. Saporis XVII. ac deinceps uſque ad Jezdegirdem Adar princeps menſium eſt factus. Summa itaque probationis hæc eſt. Anno DCXXXII. Phravardin erat in XVI. Junii. Ergo Neomenia Epag. in XII. Februarii poſt Aben. Atqui ſolutus eſt annus, ut ait Iſaacus, jam tum ab anno CCCXXV. Igitur ex hac hypotheſi, Phravardin erat in Sept. I. Neomenia Epag. XXIX. Aprilis. Ergo ferè integro menſe luxata erat infra Epocham. Proinde tranſlatio illarum facta à XXX. Mart. ad XXX. April. id eſt à fine Mehar ad finem Aben. Si epagom. erant in XXX. Martii, ergo Neom. Aben Apr. IX. quinto die ante epocham. Igitur de Saro Aben jam anni præceſſerant XVI. & inibat XVII. anno Chriſti CCCXXIV. Inibat autem Sari Judaïci Tebeth annus XXXVII. Diſcrimen anni XX. Ideo epocha Chaldaïci Sari totidem annis Perſicam antecedit.

CAPUT XII.

Superior de anno Perſico doctrina refellitur.

TAMETSI ſolà inficiatione refelli atque everti omnia iſta potuerunt, quæ meræ ſunt ariolationes, ac conjecturæ leviſſimæ, nihilominus in ea ſingillatim inquirendum eſſe duximus, quo & eorum inanitas, & in pleriſque conflictus, atque auctoris cæcitas appareat.

Cauſam trajiciendarum ἐπαγομένων fuiſſe divinat Scaliger æquinoctialem Neomeniam; quoniam Di menſis ab æquinoctio, id eſt XVIII. Martii inibat anno DCXXII. Jam æquinoctiales iſtas Neomenias, & luſtra vaniſſima eſſe ſomnia docuimus. Sed ut hoc de æquinoctiali Neomenia concedatur, nondum cetera probata ſunt. Nam ut Neomenia tum æquinoctialis, ac proinde mutatio Epochæ facta ſit, multa ſumuntur, quæ prudenti nemini ſine ratione aliqua perſuaſerit. Primùm neceſſe eſt æquinoctium civili uſu, atque ex vulgari ſenſu, conſtitutum fuiſſe in XVIII. die Martii; quod primum omnium demonſtrandum fuerat. Licèt enim Aſtrologi Perſæ ex accuratiori Solis obſervatione deprehenderint æquinoctium in illum diem incidere; non tamen conſtat idem & vulgò perſuaſum fuiſſe; atque alius interim dies putà XXI. Martii, civiliter æquinoctio præfiniri potuit. Quod quidem & Cæſaris ævo, & poſt Concilium Nicænum apud Chriſtianos eveniſſe ſcimus. Quippe illius ætate æquinoctium civile defixum erat in XXV. Martii, cùm interim revera in XXIII. circiter conveniret, in eóque à Mathematicis obſervaretur. Chriſtiani verò quamvis ab iiſdem Mathematicis identidem admonerentur, æquinoctium Nicænos cardines tranſiiſſe, perdiu priſtinam epocham retinuerunt; neque ante Gregorium XIII. illam ſibi extorqueri paſſi ſunt. Proinde nulla conjectura poteſt erui, quemnam veteres illi Perſæ diem æquinoctio præſtitutum habuerint, ut ex eo æquinoctialem Neomeniam inveſtigemus. Ut omittam potuiſſe Perſas æquinoctium civile non primum ipſum deſignare diem, quo ſol Arietem ingreditur, ſed octavum; ut pleroſque veterum feciſſe non dubitat Scaliger. Hoc igitur illi à majoribus traditum obſervare potuerant.

Præterea Neomenia æquinoctialis ex definitione IX. eſt quando character Sari incidit in æquinoctium. Ut igitur anno DCXXXII. iſtud acciderit, Sarus eſſe Di menſis debuit, ejúſque character eſſe Maraſphid, ſive dies XXIV. ab Ormizda. Totidem enim dies ab VIII. Aprilis ad Martii XVIII. interjecti ſunt. Atqui nullus tum Sarorum uſus, nullus characterum iſtorum fuit, luxato jampridem anno, & abolita vetere anni forma. Aut igitur nulla ejuſmodi Neomenia æquinoctialis fuerit; aut alterius, ac novi generis, quod æquabili, ac vago anno conveniret, de quo non meminit Scaliger. Sed hoc argumentum adverſus iſta commenta validius poſtmodum urgebitur. Nunc illud concedat neceſſe eſt: ut Neomenia Di menſis luxato jam anno fieret æquinoctialis, principem illum menſem eſſe debuiſſe. Non enim cujuſcumque menſis Neomenia, ſed primi dumtaxat in æquinoctium incurrens luſtrum æquinoctiale faciebat, ac panegyres illas omnes, & hilaritates adferebat. At verò Scaliger ipſe primum tunc menſem non Di, ſed Adar fuiſſe ſentit uſque ad Iſdegerdem; quo tempore traductas ob Neomeniam æquinoctialem epagomenas fuiſſe divinare eſt, non veri aliquid aſtruere.

Huic ſimile μάντευμα eſt, quod in eadem oratione ſequitur. Cùm enim bis citra Jezdegirdis tempora trajectionem factam quinque dierum velit, primò vivente adhuc ipſo, & in ejus gratiam; quando epagomenæ à fine Aben, hoc eſt XII. Februarii, in ultimam Adar, ſive XXIII. Martii tranſlatæ ſunt; ſecundò poſt ejus necem, cùm eædem ab Adar ad Aſphandar traductæ: Scaliger adverſus omnis hiſtoriæ fidem traductionem hanc poſteriorem in annum ſequentem, ſive DCXXXIII. rejicit, & à priori trajectione Jezdegirdicam æram inchoat. Poſtquam enim tranſlatas ab Aben ad Adar epagomenas dixit, ſtatim ſubjicit: Atque hæc eſt celebertima illa epocha Jezdegirdica, qua hactenus omnes Aſtrologi Perſidos utuntur. Verùm nihil eſt certius, quàm Jezdegirdis epocham à poſteriori epagomenon tranſlatione duci. Nam æra Jeſdegirdica, quam Perſæ, & Arabes Aſtrologi celebrant, ab eo tempore ducitur, auctore Scaligero, & Antiocheno illo Patriarcha, quo Phravardin primus menſis eſt factus. Hoc verò non ante poſteriorem trajectionem accidit. quia traductis epagomenis, in Aſphandar, & iſte poſtremus, & Phravardin primus eſſe cœpit. In priori autem, ſi, ut Scaliger docet, ab Aben in Adar tranſpoſitæ ſunt appendices, primus menſis fuit Di, qui poſt Adar ponitur, non Phravardin, qui in Jezdegirdica æra dux eſſe menſium debet. Quamobrem vel epagomenon tranſlatio ab Adar ad Aſphandar, quæ eſt è duabus poſterior, contigit anno DCXXXII. vel ſi ſequente contigit, Jezdegirdica æra non ab anno DCXXXII. ſed à DCXXXIII. deducitur. Hoc abſurdum eſt. Prius igitur verum; & Scaligerianum adeo figmentum judicii expers omnis eſt, & ſuæ ipſius opinioni contrarium. Ac duo ſunt, quæ gratis hic conſtituta video. Nam & priorem epagomenon tranſlationem anno ipſo Chriſti DCXXXII. factam aſſerit, quo anno mortuus eſt Izdegerdes, & ab Aben in ultimam Adar tranſiiſſe dies exiſtimat. Quorum alterum nullus ſcriptor affirmat; neque probabile mihi videtur; anno demum quarto Izdegirdis potius, quàm ineunte ejus imperio, annum in ipſius gratiam innovatum fuiſſe. Præſertim cùm laudatiſſimus ille Patriarcha, à quo arcanam illam anni formam ſolus didicit, teſtatum reliquerit; omnibus magnis Regibus annos inſtaurari conſueviſſe. Ideo ſub ipſum Izdegirdis exitium credibilius eſt mutatam epagomenon ſedem, quàm ejus anno quarto; quandoquidem ratio illa, quam, cur anno iſto potiſſimum id factum ſit, attulit Scaliger, inepta viſa nobis eſt, & doctrinæ contraria; ea ſcilicet, quam ab æquinoctiali Neomenia perperam ille depromſerat. Alterum porrò, quòd in Adar ex Aben derivatas putat, non meliori fide conſtituit. Nam neque Patriarcha Scaligeri verbis loquens, neque quiſquam alius, in Adar trajectionem illam eſſe factam ſignificat. Unde nutant, cetera, quæ hoc fundamento nituntur: cujuſmodi eſt æqui-

æquinoctialis Neomenia Di, quæ anno DCXXXII. in XVIII. Martii incidens, occaſionem mutandis epagomenis præbuit. Neque enim conſtat utrum Di primus tum menſis fuerit; quoniam illud de traductis in Adar appendicibus incertum eſt. Accedit huic tertium Scaligeri commentum, quo mutatam ſæpiùs ἐπαγομένων ſtationem confirmat; hoc eſt in omnibus æquinoctialibus luſtris, & quoties inſtaurabatur annus. Sanè ex Patriarchæ litteris, prout Latinè ab illo concipiuntur, non aliud colligitur, niſi poſt expletos CXX. annos, cùm deſultoria menſium intercalatio fieret, epagomenas in eum, qui intercalabatur, menſem ab antecedenti fuiſſe tranſlatas. Et quamvis omnibus magnis Regibus inſtauratum eſſe dicat annum, non tamen una & epagomenon tranſlationem eſſe factam meminit. Patriarchæ verba ſunt. *Erat autem illis mos, eos* (nempe annos Perſarum) *innovare, quotieſcumque aliquis magnus Rex illis exoriretur, ſecundùm morem veterum Romanorum.* Adeóne verò puerilis ille Patriarcha fuit, ut Romanos crediderit epagomenas ullas, vel dierum trajectionem habuiſſe? Quid eſt igitur aliud annorum inſtauratio, quàm epochæ, ſive tituli mutatio, cujuſmodi ab Romanis uſurpatam ſcimus, ut à magnis quibuſdam, ac celeberrimis Imperatoribus novas æras condiderint? Sic æra Actiaca, vel anni Auguſtorum, ab Auguſto: æra Diocletiani, ſive Martyrum, à Diocletiano: aliæ ab aliis Imperatoribus appellatæ ſunt. Reſpexit autem ad priores illas duas Patriarcha, utpote Alexandrinis, & Orientalibus cognitas; atque inſuper ad æram Antiochenam, ſive χρηματισμὸν τῆς Ἀντιοχείας, cujus titulus ad Julii Cæſaris Dictaturam refertur, quando is Dictator Antiochiæ renunciatus eſt; ut refert Alexandrinum Chronicon. Quare ut nullæ in annis, ſive epochis inſtaurandis apud veteres Romanos dierum trajectiones intervenerunt; ita neque apud Perſas inſtitutæ ſunt ullæ, cùm ſimiliter atque apud Romanos veteres inſtauratos apud Perſas annos fuiſſe Patriarcha ſcripſerit, aut alius certè ac novus iſtius commenti quærendus eſt auctor, novæ eliciendæ Patriarchales litteræ, vel οἴκοθεν μάρτυς ſubordinandus aliquis, qui tam inauditæ fabulæ plauſum ab non credulis hominibus exprimat. Unde igitur hæc omnia ſit expiſcatus Scaliger, ut ejus verbis utar, ipſe viderit.

Scaliger ab Ignatio ſuo fruſtrà diſſentit. Nunc eumdem cum Patriarcha ſuo velitantem intueamur, ac velut in ludo ſpectatores aſſideamus. Non rectè, inquit, Patriarcha docuit annum Perſicum ab anno tantùm æræ Jezdegirdicæ primo luxari cœpiſſe, atque ex Salchodai in canicularem periodum degeneraſſe. Nam & ratio, & auctoritas contrarium ſuadent. De auctoritate poſteà: rationem nego ullam attuliſſe Scaligerum, quæ adverſus Patriarchæ dicta momentum ullum habeat. Eſt enim hujuſmodi. *Oſtendimus*, inquit, *anno Chriſti* DCXXII. *Neomeniam epagomenon à fine Aben in finem Adar trajectum fuiſſe, hoc eſt à* XII. *Februarii ad* XIII. *Martii.* Hoc ſe dicit oſtendiſſe, quod ex ſola conjectura, ſine argumento ullo poſuit, quod antecedenti doctrinæ, ac methodo omni repugnat; quod abſurdum eſſe tot indiciis, ac probationibus perſuaſimus. Verum oſtenderit: agedum: Quid præterea? *Si erant*, inquit, *in* XII. *Februarii erant extra intervallum vernale, quod conſiſtebat intra* IV. *Martii, &* III. *Aprilis.* Neque iſtud verum eſt, neque à Patriarcha, vel altero proditum, ſed commentitium; epocham anni Perſici, ſive cardinem, ad quem intercalatione menſis Neomenia revocabatur, VIII. Aprilis fuiſſe. Ex eo quippe conſequens eſt, Neomeniæ τῶν ἐπαγομένων terminum citimum eſſe III. Aprilis, remotiſſimum IV. Martii. Quod enim Perſæ metas iſtas annis ſuis fixerint, inde ariolatur, quoniam eædem apud Chaldæos exſtiterunt. Hoc verò ſuprà confutatum eſt, cùm de eorum anno diſputavimus: & quamvis de Chaldæis nullum faceſſamus negotium, de Perſis concedi ne ipſo quidem auctore Scaligero poteſt; id quod paullò pòſt aperiemus. Frivola eſt itaque ratiocinatio iſta, quæ ſolutum ex eo Salchodai Perſicum tantò antè pugnat, quoniam ultra metas, epagomenon, ac primi menſis Neomenia procurriſſe videatur.

CAPUT XIII.

De inſigni quodam Iſaaci Monachi loco, & ejus interpretatione ab errore vindicata.

NIHILO feliciùs in tractando Iſaaci Monachi teſtimonio verſatus eſt. In quo fidem ſuperat quantum παραλογισμῶν, vaticiniorum, errorum denique turpiſſimorum commiſerit. Eſt ille quidem Iſaaci locus memorabilis, quem ex veteri codice Friderici Sylburgii Chriſtmannus exſcripſit, in commentariis ad Alphraganum cap. de anno Perſico: quem nos poſtea proferemus. Interim quod ad præſentem diſſertationem, & Scaligeri patefaciendam hallucinationem facit, ex eodem antevertemus. Γέγονε δὲ, inquit, ἡ εἰρημένη διὰ αυξ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου, πρὸ τζ ἐτῶν ἀρχῆς τῆς Ἰσδαγέρδου βασιλείας· ὡς ἐκ τούτου πάλιν τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι τοὺς Πέρσας κατὰ δ' ἔτη τῇ ἡμέρᾳ μιᾷ προλαμβάνειν ἡμᾶς. *Accedit verò prædicta* 1460. *annorum revolutio certo temporis principio, annis* CCCVII. *ante initium Iſdegerdici regni. Adeo ut ex illo tempore cœperint, Perſæ demum nos quatuor annorum ſpatio die uno prævertere.* His poſitis ita diſſerit Scaliger. *Periodus canicularis* 1460. *annorum iniit annis* CCCVII. *ante epocham Jezdegirdicam, anno Chriſti* CCCXXV. *à quo triceſimus octavus eſt annus Chriſti* DCXXXII. *Ergo ab anno* CCCXXV. *intercalatio Perſica deſita eſt, & ex Perſico annus in Ægyptiacum, & periodus* 1440. *in periodum* 1460. *tranſire cœpit.* Si quis pertinaciùs, ac ſummo jure contendere velit, non poteſt ex Iſaaci verbis colligi, anno CCCXXV. Periodum Cynicam apud Perſas iniiſſe. Primùm quia non dixit *ante epocham* vel *æram Iſdegerdis*, vel ſimpliciter πρὸ τῆς ἀρχῆς, *ante initium Iſdegerdis*, ut de nobili Iſdegerdis æra, quæ ab ejus nece ducitur, potiſſimùm intelligatur: ſed ita concepit, πρὸ τῆς ἀρχῆς τῆς βασιλείας, *ante initium regni.* Cœpit autem Iſdegerdes poſtremus regum Perſarum anno Chriſti (ut auctor eſt Scaliger in Catalogo Perſarum Regum, in Iſag. Canon. pag. 135.) DCXXIX. Periodi Julianæ 5342. regnavítque tribus annis, & obiit anno DCXXXII. Unde cùm Iſaacus ſcribebat annis ante initium regni Jezdegirdici CCCVII. canicularem iniiſſe periodum, videtur iſtud non ad annum Chriſti CCCXXV. ſed ad CCCXXII. eſſe referendum. Vel, ut de Jezdegirdis æra concedatur; cùm Iſaacus ita loquitur, cœptam illam periodum πρὸ τζ ἐτῶν τῆς ἀρχῆς, &c. cur trecenteſimus octavus potiùs numeretur ab illo primordio Jezdegirdis annus primus, quàm trecenteſimus ſeptimus. Nam iſtiuſmodi loquendi formulæ, πρὸ τριῶν Καλανδῶν, A. D. VI. Kalend. non ſignificant tres dies, ſéxve ſolidos & abſolutos deſignatum illum anteceſſiſſe terminum, ſed uno minùs: quoniam Kalendarum dies ipſe pars eſt numeri. Ita trecenteſimus ſeptimus πρὸ τῆς ἀρχῆς Iſdegerdis annus poteſt eſſe Chriſti CCCXXVI. à quo numeratus annus Chriſti DCXXXII. trecenteſimus eſt ſeptimus. Hæc autem unius vel trium annorum varietas, etſi levior cuipiam videri poſſit; non parùm tamen ad Scaligerianas rationes pervertendas conferet, uti mox patebit. Quin etiam falsò ex Iſaaci verbis concludit, anno demum Chriſti CCCXXV. ſolutum eſſe Salchodai Perſicum, & ex annorum 1440. orbe in 1460. Ægyptiorum more tranſiiſſe. Neque enim Iſaacus docet, tum primùm uſurpatam Cynicam Periodum anno CCCVII. ante Jezdegirdis initium. Imò verò contrarium indicat; nempe diu ante tempus illud, uſu receptam: cùm ita ſcribit: ὡς ἐκ τούτου πάλιν τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι. Ait rurſus ab illo tempore cœpiſſe Perſas, & ἀποκατάστασιν, ſive reſtitutionem illam epochæ, quæ annorum 1460. ſpatio perficitur, incurriſſe in annum illum, qui eſt trecenteſimus ſeptimus ab Iſdegerdis æra. Proinde diu ante annum CCCXXV. Periodus Ægyptiaca apud Perſas inſtituta fuerat, cùm ejus ἀποκατάστασις in hunc ipſum annum inciderit. Qui tam apertum illius loci cùm divinatione ſua conflictum non animadverterit, quid aliud quàm cæcum fuiſſe dicamus? Atqui illo ipſo firmamento detracto, quod ex Iſaaci auctoritate petitur, ruit ac proſternitur methodus omnis anni Perſici, quam gratis in ſequentibus aſtruit. Hunc enim locum doctrinæ ſuæ fontem appellat, itáque diſputare pergit.

Recludamus, inquit, *fontes ipſos. Anno Chriſti* DCXXXII. *Neomenia Di conveniebat in* XVIII. *Martii feria* IV. *Erat, ut diximus, annus* CCCVIII. *ab omiſſa intercalatione.*

Diviſis CCCVIII. *in ſeptem, nihil remanet præter feriam* IV. *in Neomenia Di. Ergo ad methodum characteris Di, addenda ſemper* IV, *& proinde Neomenia Di anno primo omiſſæ intercalationis fuit feria* V. Jam ex illis apparet nos non fruſtrà de uno vel tribus annis paullò antè pugnaſſe, cùm ex eo præcisè, quòd anno Chriſti CCCXXV. Periodus canicularis, non alio, cœperit, methodus omnis dependeat. Igitur quos appellat fontes, hos jam lutulentos eſſe, vel penitus exaruiſſe monſtravimus, & deinceps uberiùs oſtendemus. Etenim commentitia eſt in primis epocha illa Di menſis in anno Chriſti DCXXXII, quam ſine teſte gratis excogitavit. Proinde neque ex eo, quòd Di menſis Neomenia XVIII. Martii contigerit anno Chriſti DCXXII, neque quòd annus trecenteſimus octavus idem illic fuerit ab omiſſa intercalatione, certi quidquam ratiocinando poteſt effici.

Sequitur apud Scaligerum. *Rurſus annis* CCCVII. *abſolutis per* IV. *diviſis remanent* LXVI. *biſſexta Juliana, quot nempe dies ab anno Chriſti* CCCXXV. *ad annum* DCXXXII, *Neomenia Di in antecedentia tranſitum fecit. Additis igitur* LXXVI. *diebus ad* XVIII. *Martii, ubi erat Neomenia Di anno* DCXXXII, *numerus quieſcet in III. Junii, ubi erat Neomenia Di anno* CCCXXV. *Neomenia Adar* IV. *Maii. Neomenia* ἐπαγομένων XXIX. *Aprilis in fine Aben, quæ ab eo tempore ad annum primum Jezdegird ſemper hæſerunt fini Aben, & in gratiam Jezdegird hinc ad finem Adar tranſlatæ. Ergo epagomenæ menſem integrum luxatæ ſunt à termino vernali, quæ eſt domeſtica earum ſedes. Proinde hic nova Periodus annorum* 1460. *inſtituta fuit traductione* ἐπαγομένων. *Neque enim aliter potuit inſtitui annus vagus, niſi luxato cardine* ἐπαγομένων. *Ergo à fine Mehar ad finem Aben traductio facta eſt: & proinde Neomeniæ* ἐπαγομένων *priſcarum vera ſedes erat* XXX. *Martii, anno Chriſti* CCCXXV. Hæc, atque iis plura Scaliger: in quibus non plura verba ſunt, quàm vaticinia, ac pudoris omnis, exiſtimationis, ac veritatis naufragia. Eò conatus omnis ejus intenditur, ut probet Neomeniam Aben anno Chriſti CCCXXV. incidiſſe in IV. diem Aprilis, & Neomeniam Epagomenon in XXX. Martii, à quo die traductam iſtam putat in XXIX. Aprilis. Cur id obtinere tantopere ſtuderet cauſſam diligenter inveſtigavimus, atque eam demum odorati ſumus: quòd iſtud ipſum doctrinæ totius, ac methodi fundamentum ſit, ex quo anni Chaldaïci, atque Perſici epocha reliquáque omnis ſtructura pendeat. Quamobrem ut illud conſtitueret, nulli conjecturæ, ac divinationi, nulli mendacio, & hallucinationi pepercit. Rem ipſam paullò accuratiùs, atque enucleatiùs perſequar, ut incredibilis hominis ἀλαζονεία, ac fingendi impunitas neminem deinceps lateat.

CAPUT XIV.

Scaligerianæ doctrinæ fundamenta convelluntur.

EPOCHAM anni Chaldaïci, è qua Perſici anni rationes ſuſpenſæ ſunt, Scaliger defixit in anno Periodi Julianæ 2481. Perſici verò viginti anni tardiùs, nempe anno 2501. Quæ cauſa ſummovendæ Perſicæ æræ fuit, paullò pòſt docebimus. Primus menſis, à quo æra cœpit, eſt Behemen, qui in VIII. Aprilis incidit. Hic enim dies cardo totius anni ſtatuitur, à quo Sari omnes, & Salchodai proceſſerunt. Si igitur anno Periodi Julianæ 2501, Neomenia ſive Oromazda Behemen contigit VIII. Aprilis, exactis Saris XXI, Neomenia Aben incurrit in VIII. Aprilis. Quippe Sari totidem annos continent 2520, hoc eſt unum Salchodai ſolidum annorum 1440, ex Definitione IV, poſt quem ἀποκατάστασις Neomeniæ Aben fit in priſtinam ſedem: & novem præterea Saros integros. Adde igitur ad annum Periodi Julianæ 2500. annos 2520, ſive Saros completos XXI, definet calculus in annum Periodi Julianæ 5020. Proinde anno ineunte 5021, qui eſt Chriſti CCCVIII, Neomenia decimi Sari, qui eſt menſis Aben, iniit Aprilis VIII, ut ex diagrammate liquet, quod ex pagina 247. Iſag. Canon. ſuprà deſcripſimus. Poſt annos XVI. exactos, anno demum Chriſti CCCXXIV. Aſphandarmaz, hoc eſt quintus dies Aben, pervenit ad VIII. Aprilis, & Neomenia, ſive Ormizda Sari Aben tranſiit ad IV. ejuſdem Aprilis. Hinc eſt quòd anno ſequenti, Chriſti CCCXXV, Neomenia Aben in IV. Aprilis, epagomenon Neomenia in XXX. Martii collocatur. Hæc eſt ratiocinationis ſumma; hoc ſingularis artificii caput; quò quidem ut pervenire aliquando poſſet, nullum, uti dixi, commentum præteriit, omnia periclitatus eſt. Sed hoc penè homini fatale contigit, ut cùm maximè probare iſtud, ac perſuadere vellet, atque omnes adhiberet machinas, tum non ſolùm probaret leviſſimè, verùm etiam ſibi ipſi contraria, & apertè pugnantia ſcriberet. quæ nos Lectori proponemus; ſi quis, id quod nos ſtomachabundi fecimus, in iis nugis excutiendis horas aliquot perdere maluerit. Hæc igitur arx eſt diſputationis, & univerſæ collectionis caput, quòd Neomenia Di anno Chriſti CCCXXV. in tertium Julii diem inciderit, à quo tempore ad DCXXXI. annum in Martii XVIII. tranſierit. Ut illud probationis fundamentum ſit, Neomeniam Di anno Chriſti DCXXXII. in XVIII. Martii repertam fuiſſe. Nam ex eo conſequens eſt, anno CCCXXV. incurriſſe in III. Junii, Neomeniam autem ἐπαγομένων in XXIX. Aprilis, quò traductæ ſunt ex die XXX. Martii. Ex eo, inquam (repetendum enim eſt ſæpiùs) epocha anni Perſici, & omnis eſt illa pompa deducta, quòd Neomenia Di anno DCXXXII. in XVIII. Martii ceciderit, quòd ad eum diem in III. Junii annis CCCVII. progreſſionem fecerit; quòd Neomenia epagomenon anno CCCXXV, in diem Martii triceſimum convenit: quòd denique ab eodem triceſimo die in XXIX. Aprilis tranſlata ſit. Hæc principia quatuor totidem methodi ſunt elementa; quorum ſi vel unum è medio tolli, atque expugnari potuerit, confeſtim cetera corruent: iis verò ſublatis, tota illa, quanta eſt, tantis laboribus excitata moles concidet. Videamus igitur quàm hæc ipſa firma ſint poſtulata quatuor. Nam poſtulata meritò dicuntur, non ut Mathematicorum ἀξιώματα, quòd per ſeſe clara ſint, neque probationis egeant; ſed quòd tametſi, ut leviſſimè dicam, dubia ſint, & obſcura; ἀναπόδεικτα, & ſuo quodam, hoc eſt tyrannico jure uſurpata ponantur. Horum primum, quòd Neomeniam Di anno DCXXXII. ad XVIII. Martii perveniſſe docet, ſolo ex arbitrio, teneréque definit. Neque enim conſtat utrum annus trecenteſimus ſeptimus ab Iſdegirdis nece, an ab ineunte ejus imperio retrò numeretur ab Iſaaco. hoc eſt ab anno Chriſti DCXXIX, an à DCXXXII. Si enim à priore retrò putandi ſunt anni illi CCCVII, pervenient ad annum Chriſti CCCXXII, à quo ad æram Jezdegirdicam, ſive annum Chriſti DCXXXII, quò Neomenia Di in XIX. Martii progreſſa eſt, anni ſunt ſolidi CCCXI, ſi trecenteſimum ſeptimum abſolutum ante Jezdegirdis initium numeres, ut horum primus anno Chriſti CCCXXII. inchoatus fuerit. Quo annorum ſpatio biſſextiles dies LXXVII, ac propemodum LXXVIII. ſunt; qui à XVIII. putati deſinunt in III. Junii. adeo ut quarto die Junii Neomenia Di menſis inciderit uno tardiùs, quàm Scaligero placuit. Saltem igitur unius diei μετάβασις hoc modo contigerit, ſi Neomenia Di anno Chriſti DCXXXII. die IV. Junii feria VI, non III. Junii feria V. commiſſa ſit. Hoc labefactato, ſecundum quoque firmamentum evertitur: nam à IV. Junii progreſſio facta eſt ad XIX. Martii annis CCCVII. ac ſi trecenteſimus octavus ſit annus Chriſti DCXXXII, Neomenia Di anno CCCXXV. erit in IV. Junii. Tertium deinde pari, atque ab eo ponitur, à nobis fiducia negatur; Neomeniam epagomenon fuiſſe anno CCCXXV. in die Martii XXX; quoniam falſis ex principiis iſtud oritur, & non pauca divinari neceſſe eſt, ut ad illud perveniatur. Primùm Neomeniam Di anno illo contigiſſe Junii III. nam ſi quarto, vel quinto inciderit, Neomenia epagomenon in XXXI. Martii, vel Kalend. Aprilis conveniet; Neomenia Aben in V. Aprilis, vel VI. Deinde ſumendum illud eſt, nullam ex eo tempore trajectionem epagomenon interveniſſe, ſed æquabilem Neomeniæ Di progreſſum in antecedentia fuiſſe. quod fortaſſe verum non eſt. nam niſi Patriarcha mentitus eſt, magnis Regibus exorientibus, inſtaurari ſolebat annus, & epagomenæ priſtina ſede dimoveri, ut ejus verba interpretatus eſt Scaliger. Unde interjecto illo tempore, quod ab anno CCCXXII, ad DCXXXII. fluxit, ſuſpicari fas eſt, nonnullos magnos Reges exortos, quorum in gratiam traductæ ſint epagomenæ, & in alienum menſem conjectæ. Quæ res Scaligerianæ argumentationi præſcribit, ejúſque calculos impedit. Non enim hoc poſito concludere ampliùs licet; ex eo, quòd Neomenia Di anno DCXXXII. in XVIII. Martii competeret, trecentis ſeptem annis

antea tertio Junii contigiſſe. Quandoquidem repetita ſæpiùs epagomenon tranſlatione, æquabilis, ac perpetua ſeries interrumpi potuit, & Neomenia Di longiùs, quàm alioqui par erat, in conſequentia promoveri. Quod ipſum & propter æquinoctialem Neomeniam eveniſſe probabile facit Scaliger, dum ob eamdem cauſſam Jezdegirdis tempore tranſlatas affirmat epagomenas, idque Neomeniæ æquinoctialis exemplum inſigne eſſe ſcribit pag. 256. de quo paullò pòſt dicetur. Itaque temerè ex Iſacii loco conjicit, anno cccxxv, Neomeniam Di III. Junii contigiſſe; Neomeniam autem epagomenon xxx. Martii. Quinetiam nullo jure alterum hoc uſurpat, epagomenas ab anno cccxxv. perpetuò fini Aben hæſiſſe: quod ipſum probari oportuit. Nam, uti dixi, propter novos ſubinde Reges, & æquinoctialem Neomeniam varios in menſes conferri potuerunt.

Poſtremò quartum illud incertum, atque commentitium eſt, Neomeniam epagomenon à xxx. Martii ad xxix. Aprilis migraſſe. *Quando*, inquit, *nova epocha à Magis inſtaurata, luxatis à domeſtica ſede furtivis diebus, & in finem alieni menſis traductis, quod numquam antea factum erat.* Innumera ſunt, quæ gratis concedi ſibi poſtulare debet Scaliger, ut eo, quò vult, aſpirare poſſit. Imprimis epagomenon Neomeniam in Martii xxx. incidiſſe anno cccxxv, quod jam confutavimus. Tum epocham anni priſci viii. Aprilis fuiſſe; epagomenon verò Aprilis III, quod eſt poſtulatitium. Nam ei nulla ratio ſuffragatur. Probabilius autem eſt; conſtituta illa anni deſcriptione, quam indicat Patriarcha, Perſas vernum cardinem conſecutos. Ad hæc concedendum eſt illi Mehar in Martio contigiſſe, & ad eum epagomenas adhæſiſſe, indéque in Aben tranſlatas eſſe: quæ vaticinia ſunt, ac ſomnia. Nam trajectionibus extraordinariis perturbari interim, ac permiſceri omnia potuerunt. Jam unde colligit tum primùm alienum in menſem tranſlatas epagomenas, ídque antea numquam accidiſſe? Quî enim ſciri iſtud poteſt? Nam de Iſaaco planè fallitur; quem putat ſcripſiſſe Periodum cynicam ex anno cccxxv. cœpiſſe; cùm ex ejus verbis effici poſſit, non primam hanc, quæ inde profecta ſit, ſed ante ipſam alteram fuiſſe, cujus ἀποκατάστασις in annum illum incurrerit. Per illud verò ridiculum eſt, quod diſputationi intexuit: novam hanc Periodum annorum 1460, quæ Salchodai, & intercalationi ſucceſſit, trajectione epagomenon inſtitutam. *Neque enim*, inquit, *aliter potuit inſtitui annus vagus, niſi luxato ἐπαγομένων cardine.* Quid iſtud obſecro rei eſt? aut quid nova illa trajectio furtivorum dierum ad vagi anni periodum attinet? An non omiſſa ſimpliciter intercalatione poſt annos cxx. conſtituere canicularem, atque Ægyptiacam formam licuit? Caverent enim anno illo cccxxv. Perſarum Antiſtites, ac Magi, ut ne deinceps menſis ullus intercalaretur; ſed laxis in anteriora frænis anni Neomenia vagaretur: quid opus nova epagomenon traductione fuit?

Convincitur autem multò magis, ac vanitatis arguitur in eo, quod de Jezdegirdicæ æræ Neomenia pag. 256. dixit. Ibi poſt allata Patriarchæ verba, quibus in Periodo vetere Perſica, ſive Salchodai, deſultoria intercalatione trajici epagomenas aſſeverat; ſubjicit iſta Scaliger. *Hoc ſanè* (nimirum traductio ἐπαγομένων) *non omnibus Regibus, ut ille putare videtur, neque omnibus magnis Regibus fiebat, ſed tantùm in Neomenia æquinoctiali Perſica. Non poſſumus dare exemplum illuſtrius Jezdegirdico, ejus anno imperii quarto, ut infrà exponetur. Nam quamdiu forma illa Salchodai obtinuit, neque Neomenia æquinoctialis, neque Neomenia epochæ in hominum poteſtate erat.* Conferantur jam iſta cum iis, quæ de æquinoctiali Neomenia, & tota anni Perſici forma toto illo capite diſſerit. Nihil eſſe videbimus, quod magis repugnet. *Neomenia æquinoctialis*, ait definitione ix, *eſt quando character Sari incidit in æquinoctium.* Sublatis igitur Saris, hoc eſt Salchodai, & intercalatione omni, nulla jam æquinoctialis dici Neomenia poteſt, niſi forte nova quadam notione canicularis in Periodo Neomenia dicatur æquinoctialis, cùm æquinoctium attigerit, quod ſemel in annis 1460. inveniri poteſt. Atqui in præſenti negotio locum non habet. Etenim Patriarchæ litteræ de Salchodai, & intercalationis capace Periodo loquebantur, in qua magnis Regibus inſtaurari annum moris fuiſſe confirmat. Contra quem Scaliger contendit, non niſi in æquinoctiali Neomenia, vel epochæ contigiſſe: cujus æquinoctialis Neomeniæ, nullum ſit illuſtrius exemplum, quàm æræ Jezdegirdicæ. At, ô bone vir! oblitus es jamdudum ante Jezdegirdis tempora Saros nullos, neque Salchodai in rerum natura fuiſſe, atque ab anno cccxxv. vagum annum & canicularem Periodum inſtitutam. Quod igitur exemplum æquinoctialis Neomeniæ in Jezdegirdis anno primo reperire potes; cùm annis ante cccxii. tota illa Neomeniarum æquinoctialium, cujuſmodi Patriarchæ orationi congruunt, methodus eſſet exſtincta? Volo enim hoc dicas: cùm anno cccxxv. ſolutus ac canicularis annus incœperit, quis tum primus Periodi menſis, quæ Neomenia conſtituta ſit. Reſpondebis Adar deinceps ad æram uſque Jezdegirdicam principem menſium exſtitiſſe. Præclarè. Hujus igitur Neomenia, quam in Maii iv. die collocas, quandonam æquinoctialis cenſebitur? Neque enim æquinoctialis eſſe in anno vago altera poteſt, quàm à qua annus inchoatur; anni porrò ſinguli non ab alia Neomenia incipiunt, quàm ab ea, quæ totam Periodum auſpicata paullatim in antecedentia progreditur. Hæc igitur Neomenia tùm, opinor, æquinoctialis erit, cùm æquinoctii metas attigerit; quæ anno cccxxv, eo ſcilicet ipſo, quo Nicænum Concilium indictum eſt, hærebant in xxi. Martii. Quamquam conſtare non poteſt, utrum Perſæ eodem die vernum æquinoctium defixerint, an Ptolemaicam epocham adhuc retinuerint. Sed tamen fingamus æquinoctium ab iis civile collocatum in Martii xxi; ab hoc die ab iv. Maii dies ſunt xlv. Proinde cùm in uno quoque die Neomenia quadriennio conſiſtat, Neomenia Adar poſt annos clxxvi. abſolutos ad xxi. Martii tranſibit, & æquinoctialis erit. Ergo anno Chriſti di. æquinoctialis Neomenia contigit, non ante, neque poſtea, donec evoluta 1460. annorum periodo, æquinoctii metas aſſequatur. Imò ne illo quidem confecto ſpatio dici æquinoctialis poterit; cùm interim æquinoctia undecim fermè diebus anteverterint annis 1460. Quare major annorum circuitus ad æquinoctialis Neomeniæ ἀποκαταστάσεως, quàm ad Canicularis anni requiritur, hoc eſt xl. circiter annis ampliùs, ut mille quingenti anni inter utramque Neomeniam æquinoctialem intercedant. Hinc apparet nullam Jeſdegirdis tempore Neomeniam æquinoctialem incidiſſe, cum Neomenia Adar, quam ſolam dici æquinoctialem potuiſſe demonſtravimus, tunc in xviii. Febr. tranſierit; Neomenia verò Di vel in æquinoctium convenerit, ut ſuprà docuimus, vel princeps anni non fuerit; ac proinde fieri æquinoctialis jure nullo debuerit.

CAPUT XV.

De Epocha Chaldaïci anni atque Perſici, & utriuſque Salchodai comparatione Scaligeri errata refelluntur.

DEMONSTRATA contextus anni utriuſque vanitate, quem nulla ratio, auctoritas nulla, ſed ſola libido ingenii peperit, de utriuſque primordiis, atque epocha ſingulari capite diſputabimus, quoniam præcipua quædam in eo fabularum, hallucinationúmque monſtra conflata ſunt, quæ haud ſcio an non ſuperioribus omnibus graviora videantur. In tertio itaque libro canonum Iſagogicorum, capite illo, quod extra ordinem methodo anni Chaldaïci, atque Perſici dicavit, pag. 247, amborum Epocha ſtabilitur. Dupliciter autem ſpectari poteſt Epocha. Nam aut eſt annus ille, qui Periodo, ac temporibus populi alicujus initium dedit; uti Chriſtianorum Epocha annus eſt primus æræ Dionyſianæ, nempe Julianus xlvi, & Periodi Julianæ 4714. Aut eſt certus menſis dies, à quo ille annus inchoatur. quomodo Chriſtianis iiſdem initium annorum à xxv. Decembris, vel à Kal. Januariis ducitur. Prior epocha, anni: poſterior, diei, ac menſis epocha nominetur. His poſitis, Chaldaïco, Perſicóque anno communi, diei, ac menſis epocha ſtatuitur in viii. die Aprilis Juliani. Ab hoc enim die utriuſque tempora proceſſerunt, & ad eumdem Saris omnibus abſolutis, per unius menſis intercalationem, annorum initia revocantur. Annorum autem epocha non eadem illis eſt. Nam Chaldaïca Periodus, ſive Salchodai cœpit anno Periodi Julianæ 2481. Perſica verò

rò viginti annis tardior anno 2501. Cujus doctrinæ fontes non ſine ingenti tædio perveſtigavimus. Hanc enim tricis innumeris, & amfractibus impedire, ac curioſis oculis eripere illius auctor ſtuduit.

Methodi totius, & opinionis in eo fundamentum poſitum eſt; quod ſuperiori capite confutavimus. Videlicet quòd anno Chriſti cccxxv. Epagomenarum Neomenia legitimum ſitum habuit in xxx. Martii poſt finem Mehar; unde in finem Aben, & xxix. Aprilis tranſlatæ ſunt: cujus proinde Neomenia eſſe debebat Apr. iv. Ex quo ſequitur quatuor ſolidis diebus anteceſſiſſe priſtinam epocham, quæ eſt Aprilis viii. Quare totidem luſtra jam præterierant ab initio Sari Aben, cùm in ſingulis diebus quadriennium integrum Neomenia moretur. Hoc ſi ita eſt, cœpit Sarus Aben annis xvi. ſolidis ante cccxxv. annum, nempe anno Chriſti cccviii, quo primus dies Aben, qui eſt Ormizda, diem viii. Aprilis occupavit, adhuc priſco Salchodai ordinem ſuum tenente, neque in formam anni Ægyptiaci ſoluto. Eodem anno Chriſti cccxxxv. agebatur Chaldaïci Salchodai decimus, & luſtrum ejus ſextum. Siquidem menſis Tebeth Neomenia, quæ Oromazdæ Perſico reſpondet, anno Per. Jul. 5001. ſive Chriſti cclxxxviii, iniit viii. Aprilis, & Saro Tebeth initium dedit. Ergo anno Periodi Julianæ 5021, Chriſti cccviii, eadem Neomenia conſcenderat in diem Aprilis III. expletis luſtris v, & dies ſextus Tebeth, qui Chardad Perſico reſpondet, in Aprilis viii. ſucceſſerat. Anno verò Periodi Julianæ 5037. Chriſti cccxxiv, Neomenia Tebeth Chaldaïci Martii xxx. diem ingredi cœperat, confectis jam luſtris ix, annis xxxiv. Unde anno ſequente in eodem die conſtitit. At in anno Perſico luſtrum Sari Aben quintum anno cccxxiv, qui eſt Aſphandarmaz, iniit Apr. iv, exactis jam annis xvi, & ineunte xvii. Quippe Heros iſte ad viii. Apr. pervenerat; & in eodem die ſequenti anno repertus eſt. Ex eo conſequens eſt Sarum Chaldaïcum xx. annis ſolidis Perſicum antecedere; quoniam luſtrum illius decimum, hujus eſt quintum, ſive triceſimus ſeptimus annus Chaldaïci Sari, Perſici eſt decimus ſeptimus. Cùm igitur Salchodai Chaldaïcus inierit anno Periodi Julianæ 2481, Perſici initium erit anno 2501. Hæc eſt ſumma doctrinæ totius, quam palàm eſt, ex multiplicium nugarum, ac divinationum ſerie, atque contextu, velut catena quadam eſſe deductam. Quare ut à fundamento ipſo ſubruatur, revocanda hìc in memoriam erunt, quæ ſuperiori capite adverſus commentum illud de trajectione epagomenon à fine Mehar in Aben, & à xxx. Martii in xxix. Aprilis diſſeruimus. Hoc enim ſpeciem veri nullam habere docuimus; ac proinde quidquid ſuper ea opinione conſtituitur, futile eſt, & caſſum. Nam non aliunde ſcivit in xxx. Martii Neomeniam Epagomenon conſtitiſſe anno cccxxv, quàm quòd Neomenia Di anno dcxxxii. in III. Junii reperta ſit. Quòd multis de cauſſis frivolum eſſe planum fecimus. Tum quoniam Epocha anni Chaldaïci eſt in viii. Aprilis; quod eſt etiam ineptius.

Sed ut altiùs methodi totius origo repetatur, illud imprimis repetendum eſt; quam ob cauſſam viii. iſtum Aprilis diem tam præfractè delegerit, ut in eo anni utriuſque epocham locaret. Hujus adeo illi inſitæ opinionis rationem, ac principium diu in illius libris inveſtigavimus, donec idipſum, quod quærebatur, in appendice ad libros de Emendatione temporum, pag. xxxvi. & xxxvii. invenimus. Ibi adverſus Porphyrium probat Semiramidem Trojanis temporibus multò eſſe vetuſtiorem, itáque ratiocinatur. Aſſyriorum imperium omnium antiquiſſimum conditum eſt à Nino, ut Græci volunt; ut noſtri, ab Aſſur. Ab hoc rege triceſimus fuit Sardanapalus, auctore Cteſia, & Diodoro, qui etiam ab initio Nini, ad exitum Sardanapali mcccclx. annos putant. Deinceps Medi ab initio Arbacis ad initium Cyaxaris res Aſſyriorum obtinuerunt, annis ccxlii. Ergo ab initio Nini ad initium Cyaxaris anni ſunt præciſè mdcii. Cyaxares iniit imperium Medorum anno ſecundo Olympiadis xxxvii. quod colligitur ex dinumeratione temporum apud Herodotum. Ergo initium Cyaxaris conſurgit ex anno Periodi Julianæ 4085. de quibus deductis 1602 ſolidis ab initio Nini ad initium Cyaxaris, remanet annus primus Nini reſpondens anno 2481. in Periodo Juliana. Rurſus Calliſthenes reſcribens Ariſtoteli de ultima antiquitate rerum Chaldaïcarum, dicit annum captæ ab Alexandro Babylonis fuiſſe milleſimum nongenteſimum tertium computi temporum Chaldaïcorum. Capta eſt Babylon anno Periodi Julianæ 4383. deductis 1902. abſolutis, remanet annus Periodi Julianæ 2481: quem jam diximus fuiſſe primum ab initio Nini. Ergo computus annorum, quo utebantur Chaldæi, inibat ab anno primo Nini, non à Nemrodo, quod aliquando putaverat. Et ſanè Chaldæi, quia antiquius imperium Aſſyriaco, aut vetuſtiorem regem Nino memorare non poterant, jure ab eo annos ſuos putabant, quo alium antiquiorem non norant. Et fieri non poteſt, ut ſine ulla cauſſa à tam longinqua antiquitate epocham temporum ſuorum repeterent. Erat annus mundi mdccxvii. Neomenia Zygonos 5, 7, 28, Octobris xx, Neomenia Krionos Aprilis viii: Ergo viii. Aprilis eſt antiquiſſimum Neuruz Chaldaïcum. Atque ita quatuor κέντρα καιρικὰ habemus: χειμερινὸν Athenienſium in xii. Januarii: ἐαρινὸν Chaldæorum, in viii. Aprilis: θερινὸν Elidenſium in viii. Julii: μετοπωρινὸν Macedonum in vii. Octobris; quæ & veterum Judæorum Tekupha eſt: & quidem omnia in littera G. Ab initio Nini ad initium Nabonaſſari anni mcccclxxxvi. quæ fiunt Neuruz xii, & præterea anni xlvi. de tertio decimo Neuruz Chaldaïco: quibus competunt dies xi. προεμπτώσεως in annis æquabilibus Ægyptiacis: quibus deductis de viii. Aprilis, relinquitur xxviii. Martii Neuruz Nabonaſſari; quo poſtea ſemper Chaldæi, & Orientales uſi ſunt, ſub nomine Neuruz Harirathi. Neomenia Paophi anno primo Nabonaſſari conveniebat cum xxviii. Martii, hoc eſt cum ipſo Neuruz civili, ubi quoque erat Neomenia Neuruz Chaldaïci; & procul dubio etiam inde ſuas dodecaëteridas exordiebantur. Hæc Scaliger; quæ ideò deſcripſimus, quòd in iis univerſæ de anno Chaldaïco, atque Perſico doctrinæ, imò fabuloſi commenti fundamenta jecerit. Inde, inquam, apparet cur in Iſagogicis canonibus æram Chaldaïcam ab anno Periodi Julianæ 2481, mundi 1717, repetat, qui eſt poſt Diluvium ſexageſimus. Hujus enim ea in illis verbi cauſſa redditur, quòd ab eodem anno Chaldæorum imperium unà cum primo Rege Nino cœperit. Quam quidem de initio Chaldaïci regni, ac Nini ſententiam in Animadverſionibus ad Euſebium, & in Iſagogicis Canonibus poſtea mutavit. Nam ibi annum Periodi Julianæ 2481, Mundi 1717, Semiramidis decimum octavum numerat, adeò ut annus primus Beli cadat in annum Periodi Julianæ 2357. ante diluvium annis circiter ſexaginta quatuor. de quo errore craſſiſſimo diximus lib. 1. tomi 1. cap. vi. Nini porrò initium ex eodem poſteriore Scaligeri ſententia convenit in annum Periodi Julianæ 2412, Mundi 1748, qui eſt poſt diluvium nonus. Hinc ἀλογιστία perſpicua eſt. Cùm enim à Nini primordio Chaldæorum epocham ordiendam putaſſet in Appendice, anno ante Babylonem ab Alexandro captam milleſimo nongenteſimo tertio, poſt diluvium ſexageſimo, mutata dein ſententia annis novem & ſexaginta Nini antevertit initium; & tamen in eodem quo priùs anno Chaldæorum defixit æram; quæ quidem una cum Nini epocha retrò ſummovenda fuerat. Quam porrò ridicula, & abſona in utravis opinione multa ſunt! In Appendice, Nini principium anno poſt diluvium quarto & ſexageſimo tribuit. quod quis non abſurdum judicet? Neque enim ante Phaleci ortum, hoc eſt annum ſaltem à diluvio centeſimum, imperium ullum conſtitui poterat, nondum humano genere diſperſo. Adde Beli, qui Ninum anteceſſit, annos lv. Ita anno poſt diluvium nono circiter Chaldæorum fundatum erit regnum. At in Iſagogicis canonibus longè abſurdius, ubi non ſolùm Beli, ſed etiam Nini epocham ante diluvium collocavit, uti libro 1. Tom. II. demonſtrabitur. Hoc divini Chronologi decretum; Belum, qui eſt Nembrodus Babylonicæ turris ædificator, lxiv. annis ante diluvium regnare cœpiſſe, Ninum verò novem. Neſcio an turpius aliquid ulli mortalium excidere poſſit: hoc ſcio nullum ad hanc diem inſignius cujuſquam erratum, & ad ſtuporem vehementius exſtitiſſe. pag. 130.

Quamamobrem explodatur ἀλλόκοτον illud μάντευμα; Chaldæorum epocham ab anno Semiramidis xviii, qui ſit mundi 1717., poſt diluvium ſexageſimus, iniiſſe. Ante linguarum diviſionem, quæ ante centeſimum à diluvio